

Laudatio

¶

Augusti Ferdinandi Naeke

recitata ab A. G. a Schlegel, Ordinis philos. Decano,
in aula academica

d. IX mensis Martii 1839.

Dum in hunc locum ascendo, subit mentem recordatio tam amara, ut vix a lacrimis mihi temperem. Obversatur oculis imago viri amicissimi, qui eundem locum, quem ego nunc, occupare solebat: quem virum, quum orator publicus constitutus esset, saepe ex hac ipsa cathedrâ facunde et graviter, sicuti decet universitatem litterariam, verba facientem audivimus. Nemo vestrum est, quin intelligat me de Augusto Ferdinandio Naekio loqui, quem mors praeitura nuper nobis eripuit. Nuper dico: iam sex menses inde elapsi sunt; sed eheu! quis desiderio sit pudor aut modus tam cari capit? Iam nimis diu ab inferiis cessasse mihi videor: effundam igitur, hac occasione oblata, amici Manibus exiguum quidem, attamen puram laudum libationem.

Quo in officio explendo, confido me non reprehensumiri, si a moribus viri optimi exorsus fuero. Sane ingenii dotibus, quae in amico nos delectant, ali solet et augeri amicitia; at sine morum integritate omnino ne existere quidem ea potest. Adde, quod Naekii scripta, quaecunque publici iuris facta sunt, peritis talium arbitris immensam eius eruditionem ac subtile iudicium iam dudum commendarunt, commendabuntque in posterum, dum per Germaniam ars critica florebit. Virtutes in vita privata maxime conspicuas praedi-

care, id vero nostrum est, qui suavissima eius familiaritate usi sumus.

Eminebat in Naekio nostro candida et ingenua indoles. Benignus erga omnes, ab invidia et obtrectatione erat alienus. Pacis amantissimus, tali modo, ut si quando cum homine supercilioso ac nimia sibi arrogante ipsi coniunctim res peragendae essent, illum lenitate ad consilia aequiora reducere, quam iura sua acriter vindicare mallet. Fidis auribus apud eum committere poteras, si quid liberius iudicasses. Etenim prudenter tacere didicerat, sed citra dissimulationem. Noverat artem satis difficultem, cum duobus aemulis, sibi invicem adversantibus, quomodo amicitia pariter coli posset, sine alterutrius offensione. Attentus seculi huius, quo nos vivimus, observator, spectator minime lentus eventuum, quibus conditio populorum in melius aut in deterius mutatur, nunquam tamen partium studio abripi se passus est. Qua temperantia et aequitate factum, ut nullus, quod sciām, inimicus ei existeret, multi, immo plurimi, bene vellent.

Talem ad indolem egregie accommodata erat sors, quae Naekio contigit, non ea splendida quidem, sed satis prospera, dum eius vita, nullis fere vicissitudinibus obnoxia, aequabili tenore defluebat. Natus in urbe Saxoniae principe, honestis parentibus, pueritiam peregit in domo paterna inter fratres sororesque, quos tenero semper affectum, sicuti patrem pia reverentia, donec superstites essent, est prosecutus. Inde eum recepit Schola Portensis, quae dudum solidae doctrinae laude floruerat et nunc floret. Qua in re gentilitiam quasi communionem studiorum agnosco. Nam et pater meus, vir summopere venerandus, qui non dignatus est me puerum prima linguae Latinae elementa docere, olim Scholae Portensis alumnus fuerat, ibidem postea magistri munere functus. Ex illo ipso disciplinae contubernio prodiiit, medio fere seculo proxime elapso, poëta clarissimus Klopstokius, patris mei amicus.

Sed ut a diverticulo, quo grata memoria me seduxit, ad narrationem redeam, posito tirocinio scholastico Naekius, ad altiora adspirare iam bene paratus, adiit antiquam et celebratissimam Saxoniae academiam Lipsiensem. Ibi per aliquot annos commoratus totum se tradidit Godofredo Hermanno, praeclaro duci ad litterarum Graecarum Romanarumque penetralia, qui arcanis artis criticae ipsum initiaret. Tanti magistri auspiciis ad doctoris gradum promotus, paedagogii regii Halensis collega assumptus, in eadem universitate anno huius seculi duodecimo, publica disputatione habita, legendi facultatem obtinuit. Quinque annis post maiore iam conatu criticam disquisitionem de Choerilo Samio poëta edidit, qui liber tanto plausu apud eruditos exceptus est, ut nemo magis idoneus haberetur, qui in Academia Rhenana recens condita, Heinrichio viro clarissimo adiunctus, seminarium philologicum, quale nunquam in his terris extiterat, instituere et regere posset. Quod quantum per hosce viginti annos ad studia humanitatis excitanda et stabienda contulerit, nemo est paullo eruditor, qui ignoret.

Paucos post annos Nackius concendit professoris eloquentiae cathedram, qui locus propter puram ac tersam stili Latini elegantiam illi a natura destinatus videbatur. Ex eo inde tempore plane noster fuit: in hac Musarum sede novam sibi patriam fixit tam firmiter, ut ne cogitaverit quidem unquam de alia conditione quaerenda aut accipienda. Deliniebant mirifice animum delicato pulcri sensu imbutum tot amoenitates quibus castra Bonneosia nunc pacifica prae ceteris Germaniae Academiis nilent: viridaria circa urbem expansa, ager cultissimus, varius montium, vinearum, convallium prospectus, placida Rheni maiestas, quem fluvium velivolum dicere possis, ni aetas nostra vel sine velis aut remis adverso amne velociter subvehi didicisset; situs opportunitas, cuius visendi gratia undique confluunt exteri nobiles, docti, ingeniosi, quorum colloquia novitatem quandam exhibere solent.

Inter familiares aut in circulis etiam frequentioribus, quoties certatim invitatus advenerat, iucundissimus hospes habebatur, quippe qui, ad hilaritatem propensus, iocos sine noxa sereret, ac lepore quodam nativo sermones condiret.

Omnino recreationi aliquid dandum esse recte censebat Nackius. Sed ne hoc temporis quidem a studiis vacuum manebat. Per solitarias ambulationes, quas valetudinis cura ei suadebat, semper quaestiones litterarias et criticas secum meditabatur.

Assiduus erat in scholis habendis; at quam perseverans fuerit propositique tenax, id post eius obitum apertius etiam patuit. Etenim, dum Heinrichius collega senior per integrum annum lenta tabe consumebatur, Naekio soli onus regendi Seminarii philologici sicut sustentandum. Ipse vero tunc a pristino vigore multum iam defecerat: nondum quidem intelleixerat se morbo gravi immo insanabili laborare, viscerum vitalium, cordis ac iecinoris, nimio tumore; sed sentiebat malum, quo gliscente denique extinctus est, et vehementissime angebatur. Nihilo magis tamen ab officio obeundo destitit, usque dum dies fatalis ei appropinquasset.

Talem virum tun sapientem tun felicem merito dixeris, utpote qui bonis, quae numen propitium ei, tanquam honestae industriae praemia, concesserat, grata mente frueretur, incommoda, quorum nemo mortalium prorsus immunis manet, patienter toleraret. Elegerat sibi vitae genus animi propensioni consentaneum, officii nomine semper occupatum illis ipsis in rebus quas in deliciis habebat, in poësi litterisque elegantioribus. Gloriae cupidine modice ac sine ambitione turbulentia sollicitatus, effecit tamen quod voluit: eximiam doctrinæ ingenique famam nactus est, non per Germaniam modo, sed etiam apud exterros. Cuius assertionis testem habeo sententiam Viri Illustrissimi, Letronnii, antiquitatis studiorum in Gallia facile principis, ante annum fere, illo adhuc superstite, in epistola ad me data pronunciantis, Naekium esse criticum in suo genere plane perfectum.

Sane scripta Naekii pleraque breviora, nonnulla paucis paginis comprehensa, sunt omnimodo expolitissima, tum quod ad formam, tum quod ad materiam pertinet. De quibus obiter atque in transitu loqui, nefas foret. Tantum acumen accuratam aestimationem postulat. Habeo multa quae proferam, partim ad universam philologiae rationem spectantia. Quae hodie absolvvi non posse, hora me admonet. Sed tempus opportunum propediem sese offeret, quandoquidem, si valetudo suppetierit, de hoc arguento preelectionem publicam habere per menses aestivos mihi proposui.

Vos vero, Committones, quotquot Naekii nostri olim discipuli adestis, impense hortor, ut memoriam tanti magistri pie colatis, et vestigia eius, quantum vires valent, e longinquo sequamini.
